Quelle: https://manuscripta.at/?ID=875
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



differat agnitione et differentia dictum est in eo quod dicebamus. Quo igitur differt accidens et quo differentia differat accidens. Post differentiam et accidentis redditas communitates, nunc de eorum differentiis tractat. Ac primum quod tale proponit. Differentia inquit omnis speciem continet. Rationabilitas enim continet hominem. Quoniam rationabilitas plus quam species, id est homo pertinet super genus substantiam hominis, idem usque dissimilitudinem. Accidentia vero aliquando quod continent, aliquando continentur. Continet quod quia quod libet unum accidens speciebus adesse pluribus consuevit, ut album cigno et lapidi nigrum ut corvo ethiopi atque ebeno. Continentur quoniam plura accidentia uni speciei accidunt, ut videatur illa species plurium accidentia continere. Cum enim ethiopi accidit ut sit niger, accidit ut sit simus, ut cum spiritus quae cuncta sunt ethiopis. Species quae est homo, omnia quae habet intra se plurima accidentia videtur includere. Hinc occurrit primo quoniam differentiae quae aliquando continent, aliquando continentur. Ut rationabilitas continet hominem plus quam quod de homine praedicat. Continet quod ab homine quia non solum hanc differentiam homo continet unum et mortalem. Respondebimus etiam hoc. Omnia quaecumque substantialiter de pluribus praedicantur ab his de quibus dicuntur non poterunt contineri. Quo fit ut differentiae quae non contineantur ab specie et si sint differentiae plures quae speciem formant. Accidentia vero continentur, quoniam accidentia speciem subiectae nulla praedicatione constituunt. Nam nec proprie universalia dicuntur accidentia, cum de speciebus pluribus dicuntur. Differentiae vero maxime, quae quidem libet universalia sunt, ea necesse est eorum quae sunt universalia et substantiae continere. Quo fit quod differentiae substantiam monstrat, intentione ac remissione careant. Unaquaeque substantia neque contrahi neque remitti potest. At vero accidentia, quoniam nullam constitutionem subiectae profitentur, intentione consistunt et remissione decrescunt. Illa quoque eorum est differentia quae differentiae contrariae permiscentur ut ex se fiat aliquid non quod. Accidentia vero contraria miscentur et quaedam medietas ea alterutra contrarietate coniungitur. Ex rationabili et irrationabili nichil unum iungitur. Albo vero et nigro coniunctis fit aliquis medius color. Expositis igitur distantiis differentiae ad cetera restat de specie dicere, cuius quidem differentias ab eo ante collegimus, cum generis ad speciem differentias dicebamus. Cuius et speciei distantias ad differentiam diximus, cum differentiae ad species dissimilitudines monstravimus. Restat igitur speciem proprio et accidenti communione coniungere, tum differentiis segregare.

De communibus speciei et proprii

Speciei autem et proprii commune est de se invicem praedicari. Usque equaliter enim sunt species his quae eorum participant et propria quae sunt propria. Commune inquit habent propria atque species, ad se ipsa praedicationes habere consimiles. Nam sicut species de proprio, ita proprium de specie pertinet. Namque ut est homo risibilis, ita risibile est homo, idque iam superius dictum esse commemorat. Cuius communitatis rationem subdidit, eam scilicet quae equaliter species individuis participantur. Sic eadem propria his quae sunt propria, quae rationem non videntur ad constitutionem praedicationis accommoda sed potius ad illam aliam similitudinem, quia sicut species equaliter individuis participantur, ita et propria.

accidentia